

Praeter hosce usus videtur Plato quartum alium perspexisse ad philosophiam pertinentem, quatenus falsas confutando opiniones purgationem animorum, velut medicus corporum exercet. Sic enim in Menone:¹⁴ *Ac si Sophistarum quispiam fuerit et Eristicorum et Agonisticorum is, qui rogat, dixerimus forte illi, mihi quidem dictum est, quod si non recte dico, tuum munus est suscipere [316] sermonem et refellere. Hunc autem refellendi usum vocat in Sophista animae medicinam:*¹⁵ *Hoc idem de anima senserunt illi, non prius ipsam habituram allatarum disciplinarum iuvamen, quam redarguens quis eum, qui redarguitur in pudorem coniiciat, eas, quae impedimento disciplinis sunt opiniones, eximens purgatum reddat, ita ut putet scire ea sola, quae scit et non plura. Itaque dicendum est elenchum esse maximam et perfectissimam purgationum.*

Hanc autem purgationem medici munus esse in corpore efficere, in anima vero philosophi celebre iam est ex Trismegisto mutuo sumptum. Purgationem falsae opinionis, διδασκαλικῆς partem, eodem Sophista facit fierique διερωτῶσιν ὧν ἄν interrogantibus de iis, id est per interrogationem; hoc autem munus dialectici esse clarum est. Dialecticum autem ad philosophum pertinere eodem ita statuit:¹⁶ *Sed enim dialecticum non alii dabis, ut ego puto, praeterquam ei, qui sincere et iuste philosophetur. Quod ipsum late postea 7. Reipublicae atque alibi adstruit.*

At contrario modo Topicorum author haec distinxit, ut philosophus et dialecticus longe alii essent, libro 8. ita scri-

¹⁴ καὶ εἰ μὲν γε τῶν σοφῶν τις εἶη καὶ ἐριστικῶν τε καὶ ἀγωνιστικῶν ὁ ἐρόμενος [ἐρώμενος], εἴποιμ' [εἴπομεν] ἂν αὐτῷ ὅτι ἐμοὶ μὲν εἴρηται εἰ δὲ μὴ ὀρθῶς λέγω, σὸν ἔργον λαμβάνειν λόγον καὶ ἐλέγχειν. [PLATO, Men. 75.c.8 – d.2]

¹⁵ ταὐτὸν {καὶ} περὶ ψυχῆς διενόηθησαν ἐκεῖνοι, μὴ πρότερον αὐτὴν ἔξειν τῶν προσφερομένων μαθημάτων ὄνησιν, πρὶν ἂν ἐλέγχων τις τὸν ἐλεγχόμενον εἰς αἰσχύνην καταστήσας, τὰς τοῖς μαθήμασιν ἐμποδίους δόξας ἐξελῶν [ἐξελῶν], καθαρὸν ἀποφήνη καὶ ταῦτα ἡγούμενον ἅπερ οἶδεν εἰδέναι μόνον, πλείω δὲ μή. [...] καὶ τὸν ἔλεγχον λεκτέον ὡς ἄρα μεγίστη καὶ κυριωτάτη τῶν καθάρσεων ἐστὶ. [PLATO, Sph. 230.c.7 – d.8]

¹⁶ ἀλλὰ μὴν τό γε διαλεκτικὸν οὐκ ἄλλῳ δώσεις, ὡς ἐγῶμαι, πλήν τῷ καθαρῶς τε καὶ δικαίως φιλοσοφοῦντι. [PLATO, Sph. 253.e.4 – 6]